

ne mutatione loci possit Christus efficere miraculum; vel esset alius quilibet motus, et hic est imperfectius quid ex natura sua, quam quælibet qualitas: ergo non potest constituere sufficienter in actu primo instrumentum ad agendum per naturalem effectum, et consequenter nec per illum elevatur instrumentum ad effectus supernaturaliter.

CDXXVII. Confirmatur: Instrumentum separatum nequit moveri sine aliquo impresso, aut qualitate impressa ei, distincta ab ipsa motione; sed sacramenta sunt instrumenta separata: ergo præter motionem indigent aliquo distincto, aut qualitate distincta sibi impressa.

CDXXVIII. Respondetur motum illum, seu motionem intentionalem esse aliquid impressum in instrumento, non per modum qualitatis, sed per modum motionis, quæ proprie non est corporeum quid, aut spirituale, ut dicit S. Thomas quæst. xxvii de veritate, art. iv ad quintum, sed quid imperfectum, et reductum ad incorporeum, cujus est intentionalis participatio per modum motus, non per modum formæ; sicut non est proprie ens, sed via ad ens, et postprædicamentum. Et dicimus, quod illa motio nec est alteratio, neque motus localis, sed divina motio, seu communicatio divinæ virtutis per modum motionis, quam Aristoteles non agnovit; sed habet se ad modum intentionalis participationis per modum transeuntis et motus; sicut in fidibus citharæ recipitur motus artificiosus, et in securi motus non solum ad secandum, et expellendum corpus, sed etiam ad effectum artis inducendum.

CDXXIX. Et ad improbationem respondetur, quod sicut dicit D. Thomas articulo citato, solutione

ad sextum, incompletum non potest esse causa effectus completi et supernaturalis, tamquam causa principalis et virtute propria, sed tamquam causa instrumentalis, et quid reductum ad virtutem principalem, et ab ea derivatum, et dependens per modum motus; sicut citharæ-
 dus artifex, licet applicando per motum localem instrumentum, producat effectum artificiosum, tamen non solum motum localem ei communicat, quia effectus artificiosus, qui de novo producit, non fit per motum localem, neque potest ejus effectus esse formaliter loquendo, sed fit per artificiosam actionem; et hæc cum non exeat ab artifice immediate, debet exire mediante instrumento; et sic non solus motus localis ei communicatur, sed artificiosa productio.

CDXXX. Ad confirmationem respondetur, instrumenta separata dupliciter sumi, aut quia non sunt continua nec contigua, et tunc indigent aliquo impulsu, aut qualitate præter motionem; vel non sunt continua, sed sunt contigua, et tunc sufficit motio intentionalis sine impulsu; sicut patet in securi, quæ artificiose movetur: sacramenta autem contigua sunt Deo, quia Deus ubique est præsens. Secundo dicitur, illum impulsu esse necessarium in actionibus physicis, et quæ per contactum fiunt, non in supernaturalibus, quæ a contactu non pendent: et ideo per solam motionem intentionalem fieri possunt. Sicut aliud est impulsus quo corpus (verbi gratia sagitta, aut securis) movetur; aliud dicitur actio, qua artificiose movetur; hæc secunda est intentionalis ratio instrumenti; prima est physicus motus ad effectum principalem movendi, seu secandi, et cætera, nam sine impulsu securis non secat, neque cælum movetur sine impulsu.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Pro primo modo dicendi, quæ probant virtutem in instrumentis esse qualitatem, contra primam conclusionem.

CDXXXI. Primo arguitur: Necessario est supponendum aliquid in instrumentis, ut constituantur in actu primo ad agendum instrumentaliter, sed ad hoc non sufficit motio, aut extrinseca subordinatio: ergo debet esse qualitas. Patet consequentia, quia si est aliquid superadditum ipsi instrumento, non est id ipsum quod ante instrumentum habebat: ergo vel aliquid intrinsecum, vel extrinsecum; extrinsecum autem non sufficit, ut jam probatum est; intrinsecum autem vel debet esse motio, vel qualitas. Minor probatur, nam motio illa vel est motus tendens ad perfectum in ipso instrumento, et sic debet habere terminum in ipso instrumento, qui non est aliud quam qualitas, vel est motio intentionalis representans virtutem causæ principalis per modum motus, et sic oportet quod talis intentionalis participatio fundetur, et sit in aliqua entitate, sicut intentionalis representatio objecti est in entitate speciei impressæ, quæ qualitas quædam est. Similiter ergo et ista intentionalis motio in aliqua entitate est, quæ sit qualitas, alias non apparet quomodo produci possit in instrumento, si entitatem non habet.

CDXXXII. Confirmatur: De facto sacerdos est instrumentum consecrationis, et constituitur in actu primo per qualitatem sibi inhærentem, id est, per characterem, qui reductur ad genus potentiæ tamquam potentia instrumentalis ut S. Thomas docet quæstione lxxiii, art. ii, et de characterem loquitur sicut de

virtute sacramentali, quæ est in sacramentis: ergo non repugnat instrumentum constitui potens in actu per qualitatem permanentem.

CDXXXIII. Respondetur negando minorem et ad probationem dicitur, quod illa motio est intentionalis, ut explicatum est; ad hoc autem non requiritur quod sit aliqua entitas seu qualitas, quia ut dicit S. Thomas articulo quarto infra, non est in aliquo genere, sed sicut motus non est in genere, sic nec illa motio. Et ut dicit quæstione xxvii de veritate, articulo iv ad quintum, illa virtus non est corporea, aut incorporea (proprie loquendo) sed virtus ad incorporeum; sicut motus non est ens proprie, sed via ad ens.

CDXXXIV. Et ad id quod dicitur, quod talis intentionalis participatio debet fundari in aliqua entitate seu qualitate, sicut fundatur intentionalis representatio speciei, respondetur, quod quando intentionalis participatio datur per modum permanentis aut disponentis, etiam fundari debet in entitate aliqua inhærenter permanente, quæ debet esse qualitas; quando autem intentionalis participatio datur per modum transeuntis, et per modum motus, non fundatur in aliqua entitate prædicamentali, sed in aliquo de genere motus; non tamen motus naturalis, sed superioris ordinis, qui per modum fluxus divinam virtutem communicet. Sicut enim datur ad actionem per modum transeuntis habendam, et non ut constituatur res in ratione principii et formæ, ideo non fundatur in aliqua entitate, quæ sit forma, sed in aliquo quod sit motus, dari debet. Ita videtur sentire S. Thomas, qui tenet virtutem instrumentalem non esse in prædicamento, sed reductive ad ipsum pertinere, sicut motus ad actum, cujus est motus.

CDXXXV. Potest secundo responderi in aliorum opinione, qui censent illam virtutem esse entitative corpoream, et virtualiter spiritua-lem, quod illa motio fundatur super aliqua entitate, quæ additur instru-mento, non tamquam forma pro-ductiva, sed tamquam quid deferens intentionem virtutis principalis, et ideo non operari instrumentum per qualitatem superadditam, quæ se habeat ut forma et ratio operandi; bene tamen per qualitatem, quæ solum materialiter se habeat ut fun-damentum intentionalis virtutis; et ita formalis ratio agendi non est qualitas, bene tamen materialis. Cæterum sicut auxilium, quo Deus concurrat cum causis principalibus, non est qualitas aliqua, sed actualitas qualitatum et potentiarum omnium activarum, sic non est in-conveniēns dicere, quod illa motio intentionalis non est qualitas, sed actualis quædam participatio divi-næ virtutis per modum transeuntis, excedens in actualitate omnem qua-litatem, quæ per modum formæ se habeat, et ideo non debet esse qua-litas prædicamentalis. Unde non in-diget concursu prævio, sicut causæ principales creatæ, sed solum su-multaneo; et ita si est actualitas excedens modum potentiæ et for-mæ creatæ, non debet esse entitas prædicamentalis, sed ad modum motus se habens, quantum ad ra-tionem transeuntis, in actualitate tamen excedens entitatem prædi-camentalem, sicut excedit actuali-tas auxilii; et ideo non debet inten-tionalis participatio fundari in enti-tate, quæ sit qualitas, in quo differt a characterē, qui est qualitas præ-dicamentalis, cum non sit ultimum in actualitate agendi, sicut illa mo-tio, sed determinati principii apti-tudo et potentia. Et hæc sit tertia responsio.

CDXXXVI. Ad confirmationem res-

pondetur, quod in opinione aliquo-rum, ut Suarez, etc. qui censent contra D. Thomam characterem non poni in secunda specie qualita-tis, sed in prima, nec reduci ad ra-tionem potentiæ etiam instrumen-talis, non habet vim argumentum. In sententia autem S. Thomæ di-cendum est, quod character non po-nitur tamquam virtus activa, et constituens in actu primo instru-mentali, cum præter characterem indigeat minister elevatione et mo-tione, sicut alia instrumenta; sed per characterem ordinatur ad ali-quos actus supernaturales commu-nicandos ministerialiter, et facit si-bi debitam illam motionem inten-tionalem instrumenti. Dicitur ta-men reduci ad potentiam, quia in aliquo imitatur rationem potentiæ, quatenus non respicit communica-tionem illorum actum bene vel ma-le, sed simpliciter.

CDXXXVII. In potentia enim na-turali duo sunt, alterum quod di-cat activitatem et vim ad producendum effectum: alterum quod dicat illam non ad producendum tali vel tali modo, sed ad simpliciter pro-ducendum effectum: instrumenta-ria autem potentia, quæ antecedit elevationem, non coincidit cum po-tentia in primo (scilicet in activita-te) sed in secundo; et loco activita-tis dicit aptitudinem ut elevetur ve-luti connaturaliter, et debitum sibi facientem concursum elevativum. Quod autem aliqua virtus imitatur aliam quantum ad aliquam ratio-nem, sed non quantum ad omnem, secundum quod est talis virtus, ideo reductive pertinet ad talem virtu-tem; sicut apparet in partibus po-tentialibus alicujus virtutis, quæ non habent essentiam talis virtutis nisi secundum quid et reductive; sicut quia temperantiæ proprium est moderari delectationes tactus (in quo consistit ejus essentia) ideo

omnis virtus moderativa, aut refræ-nativa, licet non sit in materia tac-tus, est pars potentialis temperan-tiæ, sicut modestia, humilitas, con-tinentia, et aliæ, de quibus S. Tho-mas 2-2, a quæstione clv.

CDXXXVIII. Similiter in prædica-bilibus dicunt logici, quod indivi-duum vagum reductive pertinet ad prædicabile speciei, non quia im-portet quidditativum prædicatum de pluribus solo numero differenti-bus, sed quia importat complexum prædicatum, quod solum de indivi-duis prædicatur, quia individuatio-nem importat, ut quidam homo; et ideo quia imitatur speciem in hoc, quod est de solis individuis prædica-ri, ideo reductive pertinet ad præ-dicabile speciei.

CDXXXIX. Sic ergo character, et quælibet aptitudo, seu virtus in-strumenti antecedens elevationem, imitatur potentiam, non in eo quod est habere vim et activitatem ad producendum (sic enim esset poten-tia directe) sed in eo quod est ordi-nationem ponere ad simpliciter agendum vel patiendum, non ad bene vel male, facereque sibi debi-tum concursum, non reductivum de potentia ad actum (sicut potentiæ activitatem habentes) sed elevati-vum ad effectum; et ita effectus pro-ductus non correspondet activitati characteris, sed elevationi superve-nienti illi. Et talem virtutem instru-mentalem ante elevationem non re-pugnat poni in ministro permanen-ter, quia per ipsam non acquirit in-strumentum activitatem, seu actum primum ad agendum, sed disposi-tionem et aptitudinem ad recipien-dam elevationem et activitatem, ex quo facit sibi debitum, et quasi connaturalem concursum elevati-vum, qui non est debitum non ha-benti characterem; et ideo charac-ter est qualitas supernaturalis, et dans ordinem ad actus supernatu-

rales, non per modum activitatis, sed per modum aptitudinis et capa-citatis connaturalis; sicut calamus, ex eo quod acuitur et disponitur ad litteras formandas, aptitudinem ac-quirit quasi proximam et inchoatam in genere entis ad formandas litte-ras, et hæc aptitudo non est jam in genere naturæ, sed in genere artis; sic in genere supernaturali ponitur per characterem aptitudo, qua fiat sibi connaturalis elevatio instrumenti, non tamen illi aptitu-dini, tamquam activitati correspon-det effectus, sed soli elevationi.

CDXL. Et ulterius nota, quod character est qualitas ministerialis, qua aliquis ut minister voluntarius sacerdotii Christi ei in operando configuratur; et ideo non præbet activitatem quasi physicam ad ef-fectus supernaturales, sed volunta-rie utitur hoc characterē ad hoc, ut actus protestativi fidei sint vere sa-cramentales, et valide atque in or-dine ad ea quæ sunt cultus Dei, mi-nisterialiter ordinentur secundum ordinem ad sacerdotium Christi; et ex hac validitate facit sibi debitum concursum elevativum sacramenti aut ministri ad operandum superna-turalia.

CDXLI. Item character constituit instrumentum per modum deputa-tionis ad ministerium, non per mo-dum elevationis et actualitatis pro-ximæ ad agendum. Pertinet enim character ad constituendum minis-trum, non ad constituendum instru-mentum in actu.

CDXLII. Dicimus ergo ad argu-mentum, quod per characterem sa-cerdos non constituitur in actu pri-mo quantum ad activitatem, sed quantum ad aptitudinem ut connaturaliter elevetur; et ideo pertinere dicitur reductive ad rationem po-tentiæ activæ, non ratione activi-tatis, sed ratione aptitudinis, et or-

dinis ad simpliciter agendum vel patiendum.

CDXLIII. Secundo objicies: In sacramentis (ut fatetur D. Thomas) debet dari virtus creata superaddita illis et spiritualis, ut docet in hac quæstione, articulo quarto: ergo oportet ipsis superaddi qualitatem, quæ sit talis virtus spiritualis. Patet consequentia, nam sacramenta ex sua natura non sunt instrumenta ad gratiam producendam, sicut calor naturaliter est instrumentum ignis: ergo oportet quod id habeant per aliquam entitatem superadditam, distinctam realiter ab ipsa natura sacramenti; et hæc qualitas esse debet, præsertim quia sacramenta elevantur ad producendam aliquam formam realiter distinctam, quam secundum se producere non poterant: ergo etiam indigent virtute distincta sibi superaddita, qua non indiget instrumentum artis, quia non elevatur ad producendam formam realiter distinctam ab ea, quam sine arte producere poterant, sicut est figura, aut quid simile.

CDXLIV. Confirmatur, quia instrumenta naturalia non operantur per motum a principali agente receptum, sed per qualitatem ut derivatam ab agente principali: ergo etiam instrumenta supernaturalia. Antecedens probatur, quia semen et calor animalis non operantur per aliquem motum eis impressum ab animali, et phantasma est instrumentum quo intellectus agens producit species, et tamen non recipit motum, sed ipsa qualitas caloris, aut phantasmatis est instrumentalis virtus ad agendum: ergo.

CDXLV. Confirmatur secundo, nam causæ principales ordinis naturalis, quando elevantur ad actiones ordinis supernaturalis, aliquam motionem, saltem per modum dispositionis, recipiunt; ut in ordine

ad contritionem homo recipit auxilium per modum dispositionis: ergo similiter instrumenta ad actus seu effectus supernaturales, oportet quod habeant qualitatem, seu virtutem ordinis supernaturalis, alias non fient proportionata ad talem effectum.

CDXLVI. Denique S. Thomas in articulo quarto, inter motionem et virtutem distinguit, dicens ad tertium: « Quod in instrumento acquiritur virtus ex hoc, quod movetur a principali agente; » ergo præter motionem datur virtus, quæ non sit motio; et hæc erit qualitas. Et quæstione xxvii de veritate, art. iv ad quartum, ait: « Quod virtus instrumentalis est in sacramentis, sicut species coloris in aere; » sed species coloris est in aere sicut qualitas: ergo et virtus instrumentalis in instrumento.

CDXLVII. Respondetur ad principale argumentum, negando consequentiam. Ad probationem respondetur, quod ea quæ sunt naturaliter instrumenta alicujus effectus, ex ipsa naturali conjunctione ad causam principalem habent virtutem suam participare, et ita non indigent novo aliquo superaddito, quo eleventur ad effectum principalem, quia naturalis colligatio ad talem causam proportionatum et idoneum reddit instrumentum ad talem effectum: at vero instrumentum quod ex natura sua non est conjunctum cum causa (scilicet principali) oportet quod per aliquam novam immutationem elevetur, et proportionetur ad effectum principalem; non tamen oportet quod hæc immutatio et proportio fiat per qualitatem, cum non elevetur instrumentum ut per formam agat (hoc enim est causæ principalis) sed ut per motum agat; supponendo scilicet virtutem agendi in principali agente, in se autem solum communicationem intentio-

nalem; et ideo sufficit motio, non vero qualitas requiritur.

CDXLVIII. Nec obstat, quod producant formam realiter distinctam, quam non producant instrumenta artis; ex hoc enim non sequitur quod debeant habere virtutem realiter distinctam, tamquam qualitatem et formam completam, sed tamquam motionem et quid incompletum in ratione virtutis, cum solum intentionaliter ei communicetur virtus causæ principalis. Quare forma realis producenda et realiter distincta, supponit realem virtutem, et formam productivam realiter, sed hoc in agente principali; in instrumento vero non requiritur quod etiam supponat virtutem per modum formæ, et in entitate completa, sed per modum motionis et incomplete.

CDXLIX. Ad confirmationem primam respondetur, quod instrumenta naturalia, quæ naturaliter sunt conjuncta causæ principali, non indigent nova elevatione ad operandum, eo quod ex naturali conjunctione habilitatem recipiunt ad operandum, sed solum indigent actuali operatione, quamvis phantasma, quia deservit in intellectu agente ad aliquid spirituale producendum, elevatione indigeat et motione, qua producat tales species spirituales. At vero supernaturalia instrumenta, cum ex natura sua non habeant habilitatem aliquam, aut activitatem ad effectum supernaturalem, et alias producant effectum excedentem ordinem naturæ, ut fiant habilia et proportionata in actu primo, indigent nova immutatione; non tamen quæ sit qualitas nova per modum formæ, sed nova motio intentionaliter participans virtutem agentis supernaturalis.

CDL. Quin potius sicut instrumenta naturalia non recipiunt novam qualitatem supra id quod ex

natura sua habent, ut instrumentaliter actuentur, et in actu primo constituentur, sic neque instrumenta supernaturalia; sed indigent nova motione, ut in actu primo sint sicut causa principalis, intentionaliter communicando in ejus virtute.

CDLI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod causæ principales non indigent sola applicatione et motione, sed indigent forma, qua operentur ad modum causæ principalis; et ideo oportet quod non solum moveatur homo a Deo ad effectum supernaturalem, sed etiam qualitatem per modum formæ, sive habitualiter, sive dispositive recipiat, ut per principium sibi proprium operetur tamquam causa principalis. At vero causæ instrumentales non operantur per formam, sed per motionem et applicationem causæ principalis, et communicando in ejus virtute, non entitative et formaliter, sed intentionaliter et ministerialiter; et ita sufficit eis motio et applicatio, ut proportionata fiant instrumentaliter ad effectum producendum.

CDLII. Et notandum, quod ista applicatio seu motio includit concursum simultaneum et prævium, quia et attingit effectum, et elevat instrumentum; concursus autem in effectum simultaneus est, et concursus in causam prævius; sed quia causa principalis non habet pro directo fine et termino elevare instrumentum, sed producere effectum, ideo concursus ille debet esse tendens ad effectum, et consequenter simultaneus; non tamen præcise ac simpliciter tendens in effectum, sed subordinando sibi instrumentum, et consequenter elevando illud. Unde terminus proprius talis concursus debet esse effectus extra instrumentum; elevatio vero passiva instrumenti non est effectus et